

LITTERAE CIRCULARES DE CURA PATRIMONII HISTORICO-ARTISTICI
ECCLESIAE AD PRAESIDES CONFERENTIARUM EPISCOPALIUM

SACRA CONGREGATIO PRO CLERICIS - PROT. 133988/III - ROMAE, DIE 15 APRILIS
1971 - E. mo Domino Card. Antonio Poma, Praesidi Conferentiae Episcopalis Italiae.

Eminentissime Domine,

antequam publici iuris fiant in Commentariis Officialibus Sanctae Sedis, mihi curae est remittere in exemplari ad Eminentiam Tuam, qua Praesidem Conferentiae Episcoporum istius Ditionis, Litteras Circulares ad hac Sacra Congregatione editas circa tutelam patrimonii historico-artisticci Ecclesiae, enixe Eminentiam Tuam rogans ut de documenti tenore certiores facere velit Episcopos istius Conferentiae, quos fas est hortari ne textum documenti publicent nisi prius a Sancta Sede Litterae promulgentur.

Interim, omni qua par est veneratione me profiteor

Eminentiae Tuae Fidelis in Christo

+ P. PALAZZINI, *a Secretis*

J. CARD. WRIGHT, *Praefectus*

Testo del documento

Opera artis, utpote praestantissimi spiritus humani fructus, magis magisque homines Divino Artifici propinquos faciunt (1), et "non immerito patrimonium totius generis humani existimantur" (2).

Ecclesia artium ministerium semper nobilissimum consideravit continenterque quaesivit ut "res ad cultum pertinentes vere essent dignae, decorae et pulchrae rerum supernarum signa et symbola" (3), ac per decursum saeculorum thesaurum artis sibi proprium omni cura servavit (4).

(1) Cfr. PII XII, *Discorsi e Messaggi*, Ed. Pol. Vat., Vol. XV, p. 48 *Directorium pro ministerio pastorali quoad "turistas"*, n. 10, in: AAS. Vol. LXI (1969), p. 367.

(2) Const. *De Sacra Liturgia*, n. 124, in AAS., Vol. LVI (1964) p. 130.

(3) Cfr. Const. *De Sacra Liturgia*, n. 122.

(4) Cfr. *La Legislazione ecclesiastica sull'Arte*, curante Emo Card. CELSO COSTANTINI in *Fede e Arte*, V, (1957) - 359 ss.; *Sacrae Congregationis Concilii plures litteras circulares de re, praesertim illam quae data fuit die 30 Decembris 1952, in AAS., Vol. XX (1953)*, p. 101; PAULI VI, *Regolamento relativo al prestito di opere d'arte della Santa Sede*, in AAS., Vol. LVII (1965) p. 667 ss.; *Institutio Generalis Missalis Romanii*, Cap. V "De ecclesiarum dispositione et ornatu ad Eucharistiam celebrandam".

Ideo praesenti quoque tempore, animarum Pastoribus, licet multis graventur muneribus, cordi esse debet cura aedificiorum rerumque sacrarum, quippe quae paeclarum sint testimonium pietatis populi erga Deum, etiam ob eorum valorem historicum vel artisticum.

Dolent, autem, Christifideles quod cernuntur magis quam praeteritis temporibus tot indebitae alienationes, furta, usurpationes, destructiones patrimonii historico-artisticci Ecclesiae.

Multi, immo, immemores monitionum et dispositionum, quae Sancta Sedes impertita est (5), ex ipsa restaurationis liturgicae executione praetextum sumpserunt peragendi incongruas mutationes in locis sacris, pessum dandi et dispergendi opera inaestimabilis valoris.

In nonnullis regionibus, quaedam aedificia ecclesiastica, non amplius ad finem originarium destinata, ita negleguntur, ut grave praeiudicium patrimonio ecclesiastico et operibus artis sacrae illarum regionum afferatur.

His gravibus rationibus consideratis et memoratis circumstantiis praecipuis habitis, haec Sacra Congregatio, ad quam spectat moderari administrationem patrimonii artistici Ecclesiae (6), Conferentias Episcopales hortatur ut normas ferant ad moderandam hanc magni momenti materiam.

Interim, liceat quae sequuntur in memoriam revocare et statuere:

1.- "In instituendis artificibus nec non in seligendis operibus in ecclesiam admittendis, vera artis praestantia exquiratur, quae fidem et pie tatem alat et cum veritate significationis et finis cui destinatur congruat" (7).

2.- Antiqua opera artis sacrae semper et ubique custodiantur ut cultui di vino altius inserviant et populi Dei activam participationem in sacra liturgia coadiuvent (8).

3.- Cuiuscumque Curiae dioecesanae officium est vigilare et inspicere ut iuxta normas ab Ordinario latae, conficiatur a rectoribus ecclesiarum, collatis consiliis cum viris peritis, inventarium aedificiorum sacrorum, necnon rerum, arte vel historia praestantium, in quo ipsa singillatim describantur eorumque valor indicetur. Huiusmodi inventariorum duo exemplaria exarentur, quorum alterum apud ecclesiam retineatur at alterum in Curia dioecesana asservetur. Perutile esset ut aliud exemplar ab ipsa Curia dioecesana transmittatur ad Bibliothecam Apostolicam Vaticanam. Neque omittantur adnotaciones mutationum, quae interim forte intervenerint.

(5) Emi Praesidis Consilii ad exsequendam constitutionem de sacra Liturgia, *Epistola ad Praesides Coetum Episcoporum* diei 30 Julii 1965, in: *Notitiae* 9-X-1965, n.8, p.263; *Instr. Inter Oecumenici*, Cap.V, nn.90-99 - in *AAS.*, Vol.LVI (1964) p.897 ss.; *Institutio Generalis Missalis Romani*, n.257 ss.

(6) Cfr. *Const. Regini Ecclesiae Universae* n.70, in: *AAS.*, Vol.LIX, (1967), p.885 ss.

(7) *Institutio Generalis Missalis Romani*, n.254.

(8) Cfr. *Const. De Sacra Liturgia*, n.124.

4.- Episcopi, memores dispositionum Concilii Vaticanii II (9) et illarum, quae circa hanc materiam in documentis pontificiis continentur (10), in desinenter vigilent ut mutationes in locis sacri inducenda, reformationis liturgicae occasione, omni cautela fiant, et semper iuxta normas instauratio*n*is liturgicae, neque ipsas ad effectum adducant absque voto Commissionum de Arte Sacra, de Sacra Liturgia, ac, si opus sit, de Musica Sacra et absque consilio virorum peritorum. Praeterea ratio etiam habeatur legum, quae in variis Nationibus fortasse a civilibus auctoritatibus statutae sint ad prae*stantiora* artis monumenta tutanda.

5.- Locorum Ordinarii, perpensis normis Directorii *Peregrinans in terra pro ministerio pastorali quoad "turistas"* (nn.23-25), curent ut loci et res sacrae, arte notabilia, qua testimonia vitae et historiae Ecclesiae magis magisque omnibus patefaciant. Attamen, cum aedes sacrae, etiam valore artistico praeditae, locis cultus sint, nullo modo functiones liturgicae, quae in illis celebrantur, a "turistis" turbari debent:

6.- Si opus fuerit artis opera atque thesauros a saeculis traditos novis legibus liturgicis optare (11), Episcopi curam adhibeant ne id fiat sine vera necessitate et cum eorundem operum detimento; semper praeterea serventur normae et criteria de quibus sub n.4. Quae si nullo modo cultui divino amplius idonea existimentur, numquam profanis usibus destinentur, sed in apto loco collocentur, scilicet in musaeo dioecesano vel interdioecesano, quo omnes, qui illa visitare cupiant, accedere possint. Item, aedificia ecclesiastica, artis decore instructa, ne sint neglecta, etiam quando ad finem originarium iam non inserviant; quae si cedi debeant, ementes praeferantur qui eadem curare valeant (Cfr. can.1187).

7.- Res pretiosae, peculiariiter dona votiva, minime alienentur absque licentia Sanctae Sedis, iuxta can.1532, firmis poenis in cann.2347- 2349 statutis contra male alienantes, qui vero ne absolvantur nisi prius damna illata reparaverint. In remittendis petitionibus ad predictam licentiam obtainendam clare indicetur votum Commissionis de Arte Sacra necnon de Sacra Liturgia, et, si casus ferat, etiam de Musica Sacra, virorumque peritorum, et pro unoquoque casu attendatur ad leges civiles de hac re vigentes.

Haec Sacra Congregatio probe confidit fore ut sacra opera artis sancte ubique tractentur et custodiantur, et Episcopi, nova cuiusque aetatis indoli consona promovere contendentes, illis operibus sapienter utantur ad veram, activam et efficacem participationem fidelium in sacra liturgia adiuvandam.

Datum Romae, 11.IV.1971

+ PETRUS PALAZZINI, *a Secretis*

JOANNES CARD. WRIGHT, *Praefectus*

(9) Cfr. Const. *De Sacra Liturgia*, nn.44,45,46,126.

(10) Cfr. Instr. *De Culto Mysterii Eucharisticici*, n.24, in AAS., Vol.LIX (1967), p.554.

(11) Cfr. *Institutio Generalis Missalis Romani*, n.254.